ret? Reus est, quæ tangit Regiam authoritatem, & quæ postulat exemplarem, & solemnem animadversionem, si quis tam audacter, & potenter, ne dicam inverecunde, se gerat, ut regia præcepta contemnens, authoritatem regiam, à Principe supremo sibi reservatam, usurpet, non secus, ac si titulos Principi reservatos arrogaret sibi, aut regiis cæremoniis uteretur, quod olet; & sapit læsæ majestatis crimen, juxta tradita ab Aymone Cravetta *consil. 28. num. 2.*

SUMMA SECTIONIS SEXTÆ.

1234 *Facta prorogatione, potest successor in officio uti jurisdictione prorogata.*

1235 *Jurisdictio prorogata non transit in successorem, cum sit contemplatione personæ.*

1236 *Prorogatio facta in Judicem non habentem successorem, extinguitur, extincta ejus jurisdictione.*

1237 *Sententia lata in causa à Judice prorogato, appellatio interponitur ad Judicem superiorem prorogati, non ad superiorem prorogantium, si sit diversus.*

Appellatio semper interponenda gradatim.

Si prorogatio fiat in Judicem, à quo non potest appellari, non poterunt appellare prorogantes.

Si non potest appellari à Judice proprio prorogantium, & potest appellari à prorogato, poterunt prorogantes appellare à sententia prorogati.

1238 *Prorogatus potest mandare exequutioni sententiam adversus prorogantes, si potest sententiam suam exequutioni mandare adversus subditos proprios.*

1239 *Si jurisdictio Judicis talis est ut ad exequutionem egeat auxilio alterius jurisdictionis, prorogata ejusdem jurisdictio, eodem auxilio indigebit in prorogata causa.*

Prorogatio non immutat jurisdictionis naturam.

In Regno Castellæ, non possunt Ecclesiastici Judices sententias latas contra laicos subditos exequi quoad personas, aut bona, nisi implorato auxilio à secularibus.

Decisio l. Episcopale, in fine, C. de Episcopali audientia hodie cessat.

1240 *Judex prorogatus compelli potest sententiam ferre, si prorogationi consensit.*

1241 *Judex prorogatus potest causam, in qua prorogatus est, delegare, sicut cæteras causas propriæ jurisdictionis.*

1242 *Coram Judice prorogato sortitur quis forum legitimum, & competens, tam in civilibus, quam in criminalibus.*

1243 *Cum sortitur quis forum, ex sola prorogatione ante litis contestationem potest à foro electo discedere.*

1244 *Id locum habet, etiamsi suo foro renunciaret.*

1245 *Reus absens à loco Judicis prorogati non compellitur in judicium venire in loco prorogationis.*

1246 *In foro prorogationis, deducta in judicium sola actione personali, reus absens conveniri non potest, etiamsi habeat bona in eo loco.*

1247 *Attento jure communi potest reus citari à Judice prorogato legitimo.*

1248 *De jure Regni Castellæ virtute submissionis generalis in quemcumque Judicem, etiam cum renunciatione declinatoriæ non potest procedi ad exequutionem contra reum petitam, nisi reus sit præsens, vel bona reperiantur in loco Judicis, coram quo petitur exequutio, quod limitatur, ut ibi.*

1249 *Cum forus prorogationis concurrit cum alio modo sortiendi forum, distinguendum est, an renuncietur declinatoriæ, an non renuncietur.*

1250 *Prorogatio concurrens cum alio foro, non renunciata declinatoria, facit, ut non possit forus declinari, sed Judex eo casu procedit, eodem modo, quo potest Judex loci contractus: & hoc casu non potest peti remissio rei à Judice loci, ubi est præsens.*

Ubi non adest renunciatio declinatoriæ fori, non potest ex contractu peti remissio rei ad locum contractus.

1251 *Ubi concurrunt forus legitimus, & forus prorogationis, & adjicitur renunciatio fori, Judex non solum non potest declinari, sed potest etiam compellere reum absentem coram se comparere, & petere, à quocumque Judice, remissionem rei, ad suum tribunal.*

In hoc casu limitatur regula generalis, in contractibus non esse locum remissioni.

1252 *Clericus contrahens, extra locum domicilii, renuncians foro, sine sui superioris licentia, remittendus est ad Judicem Ecclesiasticum loci contractus.*

1253 *Explicatur l. 20. tit. 21. lib. 4. recop. & proponuntur quatuor exempla in ea contenta.*

SECTIO SEXTA.

Qui sint effectus prorogationis.

PRimus effectus prorogationis est, ut facta in judicem prorogatione, possit successor in officio eadem jurisdictione prorogata uti. Ita sentiunt Paulus *in d. l. 1. n. 3.* Cagnolus *ex n. 11.* Barbosa *art. 1. ex n. 169. vers. his ita explicatis, cum n. 170. ff. de judiciis*, Socinus *in d. c. significasti, n. 59. de foro compet.* Menchaca *q. usufrequen. c. 14. n. 23. & 24.* Maranta *in praxi, 4. p. dicta distinct. 12. n. 9.* Franciscus Marcus *decis. 73. n. 10. 1. part.* Decianus *tract. criminal. lib. 4. c. 23. num. 12.* Ratio est, quoniam cum ex parte Judicis ad prorogationem sit necessaria jurisdictio, prorogatio semper videtur facta magis contemplatione jurisdictionis, quam personæ Judicis; quo fit, ut jurisdictio prorogata transeat in successorem, argumento regulæ textus *in cap. quoniam Abbas, 14. de offic. delegat.* ubi omnes notant, *& in l. 47. in fine, tit. 18. par. 3.* ubi Gregorius *gloss. 8.* Alexander *in l. more, 5. num. 9. in fine, ff. de jurisdict. omn. Jud.* Decianus *tractat. crim. lib. 4. cap. 25. num. 45.* Everardus *in locis legalibus, loco 122. à vi subrogationis, num. 3. & 4.* Bovadilla *lib. 2. politic. cap. 20. num. 39.* Probat ille textus, & Doctores isti, delegatione facta in aliquem ratione, contemplatione, & nomine dignitatis, transire in successorem dignitatis; idem igitur dicendum est de prorogatione. 1234

Limita tamen prædictum primum effectum, si constiterit prorogationem factam fuisse contemplatione personæ, habita ratione qualitatis ejus, videlicet scientiæ, vel integritatis, & ideo prorogatio facta fuerit sub nomine proprio: nam tunc prorogatio non transibit in successorem. Quæ limitatio colligitur *ex d. cap. quoniam Abbas*, eamque tradit Speculator *lib. 2. tit. de compet. Jud. addition. §. 1. num. 8.* Cagnolus *in d. l. 1. num. 12.* Calefatus *num. 20.* Barbosa *art. 1. num. 171. ff. de judiciis*, & ad eum sensum reducendus est Marianus *in d. c. significasti, num. 59. vers. primo casu, in fine, de foro comp.* 1235

Secundus effectus est, qui colligitur ex hac limitatione primi, ut si prorogatio facta fuerit in Judicem, qui successorem non habeat, ut in delegatum, & ejus jurisdictio finiatur, quia fuerit revocata, ut *in l. judicium solvitur, ff. de judiciis*, vel aliter fuerit extincta, tunc etiam jurisdictio prorogata expiret, & omnino cesset. Ita sentiunt Speculator *lib. 2. tit. de compet. Jud. addition. §. 1. n. 9.* Antonius Butrius *in d. cap. P. & G. numer. 30. de offic. delegat.* Albericus *in d. leg. 1. n. 10.* Barbosa *d. art. 1. n. 69. ff. de Judiciis*, Marianus *in d. cap. significasti, n. 59. vers. secundo casu, & vers. concludit*, Decianus *tract. crim. lib. 4. dicto c. 23. n. 8.* Ratio est, quia prorogatio jurisdictionem non dat, sed præexistentem præsupponit, & in ea fundatur, neque ejus naturam immutat, aut alterat; accidens autem destruitur destructa substantia, ædificium corruit diruto fundamento, & cum principalis causa non subsistit, accessoria permanere non possunt, *l. cum principalis, 139. ff. de reg. iur. c. accessorium, de reg. jur. in sexto.* 1236

Tertius effectus est, ut prorogatione facta, & sententia lata in causa à Judice prorogato, appellatio sit interponenda ad superiorem Judicis prorogati, ad quem ordinarii subditi ipsius prorogati appellare solent, non autem ad Judicem superiorem prorogantium, si ille sit diversus. Ita sentit Speculator *ubi supra, num. 12.* Marianus *in d. c. significasti, n. 58.* Ratio est, quoniam appellatio semper est interponenda gradatim, *l. præcipimus, 32. Cod. de appell. l. Imperatores, 2 v. ff. eodem titulo, cap. dilecti 52. de appellationibus.* Sed Judex superior appellantium, si est diversus à superiore Judicis, à quo appellatum est, non facit illi gradum, ergo ad illum non debet appellari. Deinde, quia jurisdictio prorogata est eadem jurisdictio, & ejusdem naturæ cum præexistente, ut dixi supra, num. 1237

972. sed cum Judex exercet jurisdictionem suam in proprios subditos, interponitur ab eo appellatio ad suum superiorem. Ergo ad eumdem debet interponi, cum utitur jurisdictione prorogata. Ex quo provenit, ut si prorogatio fiat in Judicem, à quo non potest appellari, non possit tunc appellari à sententia lata ab eodem Judice inter prorogantes, ut probat textus *in l. Episcopale, 9.* ubi ex ipso notat Bartolus, & Baldus *num. 1. C. de Episcopal. audient.* Romanus *singul. 11.* Panormitanus *in cap. causam, 14. num. 2. in fine de re jud.* Imola *in d. cap. P. & G. num. 67.* Marianus *in d. c. significasti, num. 48. versic. assumo nunc*, Paulus *in d. leg. 1. num. 4.* Cagnolus *num. 6.* Barbosa *art. 5. num. 13. & 14. ff. de judiciis*, Decius *consil. 3. n. 8.* Gamma *dec. 222. num. 11. & 12.* Antonius de Matthæis *de prorogation. jurisd. num. 77. & vers. & si talis.* Et è contra si prorogantes non possent appellare à sententia Judicis proprii, sed inferiores ordinarii prorogati possunt ab eodem appellare, poterunt quoque appellare prorogantes, ut notat Albericus *in eadem l. 1. num. 10. ff. de judiciis*, Marianus *in d. c. significasti, num. 58.* Gamma *dec. 222. num. 10. 11. & 12.* Decianus *tract. crim. l. 4. d. cap. 23. num. 7.* Quoniam videlicet jurisdictio prorogata est ejusdem aturæ cum præexistente, & per prorogationem non alneratur jurisdictio.

1238 Quartus effectus est, ut facta prorogatione, & lata sententia à Judice prorogato, ipse idem, si jurisdictio ejus inter subditos est talis naturæ, ut suas sententias possit mandare exequutioni, possit eam etiam vi prorogationis exequutioni mandare. Ita sentiunt Speculator *lib. 2. tit. de compet. Jud. addition. dicto §. 1. num. 13.* Antonius Butrius *in d. cap. P. & G. num. 30.* Imola *ex n. 130. de offic. delegat.* Marianus *ubi supra num. 52.* Alexander *in l. à Divo Pio §. sententiam Romæ, num. 6. in fine, ff. de re judic.* Decius *in l. cum quædam, 19. in princ. num. 7.* Cagnolus *n. 26. ff. de jurisdict. omn. Judic.* Barbosa *in dicto l. 1. art. 5. n. 29. cum seqq. ff. de judiciis*, Antonius de Matthæis *prorogatione jurisd. num. 77. vers. sequitur præterea*, Guido Papæ *dec. 77. num. 4.* qui dicit hoc servari de stilo, Decianus *tract. criminal. l. 4. dicto cap. 23. num. 11.* Capiblancus *in pragmatic. 8. part. 1. num. 104. de Baronibus.* Ratio est, quia jurisdictio ex prorogatione adquisita est ejusdem naturæ, & eadem cum jurisdictione innata, propria, & naturali, ut modo dixi. Ergo si jurisdictio propria est idonea ad exequendum suas sententias inter subditos, erit quoque potens, & sufficiens prorogata ad exequendas sententias inter prorogantes.

1239 Limita tamen istum effectum, si jurisdictio, quæ prorogatur, possit inter subditos suos exequi per se ipsam suas sententias, sed eas debeat exequi, invocato auxilio alterius jurisdictionis: nam tunc prorogatio jurisdictionis non efficiet, ut Judex possit suas sententias exequi, sed egebit ad exequendam suam sententiam alterius Judicis brachio, & auxilio per literas requisitorias, aut hortatorias invocato. Ratio est eadem modo notata, quoniam prorogatio non immutat jurisdictionis naturam, & conditionem; & quemadmodum non minuit ejus potestatem, eam non auget, sed judicatur secundum vires, & similitudinem jurisdictionis prorogatæ, ut ait Bartolus *in d. l. Episcopale, num. 1.* & Paulus *num. 1. in finem, Cod. de episcop. audient.* Hæc limitatio probatur ex textu *in eadem l. Episcopale, 9. in fine*, præsupposito ad inductionem, quod ibi notat Baldus *n. 2.* Paulus *num. 3.* Barbosa *d. art. 5. num. 32. in fine*, Bernardus Laurentius *in tractat. Judex secularis, in quibus potest imponere manus in personas Clericorum sine metu excommunicationis, num. 18. tom. 11. tractat. 1. part.* scilicet Episcopos tempore illius legis nullum habuisse territorium quoad temporalia, neque familiam, per quam possent exequi suas sententias, & ideo tunc necessarium erat eas exequi per alios, invocato auxilio, & brachio sæculari. Quemadmodum & hodie in Regno Castellæ non possunt ecclesiastici Judices exequi sententias latas contra laicos, etiam sibi subditos, quoad personas, aut bona eorum, nisi implorato auxilio à sæcularibus, ut statuitur *in leg. 14. & 15. tit. 1. lib. 4. recopilat.* ubi notat, & explicat Azevedus, qui alios allegat, & Covarruvias *in practicis, cap. 10. n. 1. & 2.* & in simili notat Panormitanus *in c. si quis contra, 4. num. 31. de foro compet.* loquens de sententia Doctoris, aut Rectoris scholarium, qui eadem ratione, quod careant territorio, & familia, non possunt sententias suas exequutioni mandare, sine auxilio alterius Judicis ordinarii. Decisio tamen *d. leg. Episcopale, in fine*, hodie cessaret, cum Episcopi jam habeant territorium, & familiam, etiam quoad temporalia, *cap. 1. de offic. ordin. c. cum contingat, 13. de foro compet.* & notat Barbosa *ubi supra num. 33.* Atque in sensum hujus limitationis accipiendi sunt juxta eam intelligendi, & ad eam reducendi, Alexander *in d. l. cum quædam, 19. in princ.* Jaso *num. 5. ff. de jurisd. omn. Jud.* Felynus *in dict. c. P. & G. num. 8. de offic. deleg. & in cap. postulasti, 14. nu. 11. vers. contrarium sentit, de foro compet.* Guido Papæ *dec. 77. num. 4.* Maranta *in praxi, 4. part. dicta distinct. 12. num. 19.* & apertius omnibus loquutus Antonius de Matthæis *ubi supra numer. 77. dicto vers. sequitur præterea*, dum negant sententiam latam à Judice prorogato, posse ab eodem exequutioni mandari; id enim ita demum verum erit, si Judex prorogatus sententias latas inter suos subditos ex jurisdictione propria non posset exequutioni mandare.

Quintus effectus est, ut Judex prorogatus compelli possit, si semel prorogationi consensit, eamque expresse, aut tacite admisit, causam ad se per prorogationem delatam lata sententia diffinitiva terminare, sicut in cæteris causis, de quibus vi jurisdictionis propriæ sine prorogatione cognoscit, *l. de qua re, 74. in princ. ff. de judiciis, l. Prætor, 13. §. si post causam, ff. de vacat. & excusat. muner.* Probatur ex textu *in l. sancimus, 6. C. de advocat. divers. jud. & in l. munerum, 18. §. judic. ff. de muner. & honor.* juncto textu *in l. 3. §. tametsi, ff. de arbitr.* Ita sentit Speculator *d. §. 1. num. 13. & 22.* Antonius de Butrio *in d. c. P. & G. 40. num. 20. vers. requiritur tertio*, Imola *num. 124. de offic. deleg.* Marianus *in d. c. significasti, n. 51. de foro comp.* Decianus *tract. crim. l. 4. d. c. 23. num. 10.* Barbosa *in d. l. 1. art. 2. num. 27. ff. de judic.* Antonius de Matthæis *de prorogat. jurisd. n. 77. vers. insuper sequitur, & vers. quod verum putat.* 1240

Sextus effectus est, ut Judex prorogatus possit causam, in qua prorogatus est delegare, sicut posset causas propriæ jurisdictionis. Ratio est, quia jurisdictio prorogata est ejusdem rationis, & naturæ cum jurisdictione propria, & præexistenti, ut sæpius dixi. Ergo si Judex potest delegare causas ad propriam jurisdictionem pertinentes, ut *in l. à Judice, 5. C. de judiciis*: poterit etiam delegare causam, in qua est prorogatus, nisi natura illius delegationem non admittat. Ita sentiunt Speculator *l. 2. tit. de compet. Judic. addition. d. §. 1. num. 12. in fine*, qui tamen exigit, ut lis sit contestata, sed ante litem etiam contestatam, & indistincte prorogati delegationem admitti, Socinus, *in d. c. significasti num. 50.* potiori ratione, & Abbas Panormitanus *cons. 61. n. 3. 1. par.* Gamma *dec. 222. n. 12.* Decianus *tract. crim. l. 4. d. c. 23. n. 9.* Barbosa *in d. l. 1. art. 5. n. 2. ff. de jud.* 1241

Septimus tandem effectus prorogationis est, ut possit conveniri reus coram Judice prorogato, qui se submisit, & coram eo forum competens, & legitimum sortiatur, tam in civilibus, quam in criminalibus, ut ex hucusque dictis constat; verum, ut iste effectus omnino explicetur, oportet distinguere diversos casus, ut aperiatur, quid in unoquoque servari debeat. 1242

Primus casus est, cum aliquis solum ex prorogatione constituit sibi forum, & forus prorogationis non concurrit cum alio modo fortiendi forum. Exempli gratia, si duo Aversani consentirent in Judicem Capuanum, vel duo Toletani in Judicem Burgensem, vel Cordubensem. Quo casu dicendum est fortiri illos forum apud Judicem prorogationis, verum data alterutrius pœnitentia ante litis contestationem, vel alium actum, quo se Judici prorogato subjicientes reddant prorogationem irrevocabilem, posse à foro electo resilire, & à Judice prorogato recedere, ut constat ex dictis supra sect. 2. ex n. 1003. cum seq. ad n. 1011. & n. 1029. cum seqq. 1243

Quam resolutionem ampliabis, ut similiter locum habeat, sive quis renunciavit suo foro, seu exceptioni declinatoriæ fori, (quod idem est,) sive non renunciaverit, ut constat ex dictis supra num. 1047. & 1049. & 1050. juncto n. 154. 1244

Verum ea resolutio limitanda est primo, ut non procedat, si reus sit absens à loco, cui præfectus est Judex prorogatus; nam tunc, etiam non data pœnitentia non poterit conveniri in loco prorogationis, ut compellatur in judicium venire. Ratio est, quoniam iste forus prorogationis, qui ex voluntate partium conformi resultat, non est efficacior, quam forus contractus: imo cum sit maxime similis, minus est efficax, tum quoniam provenit ex pacto nudo, quod infirmius est contractu, tum quoniam potest revocari pœnitentia alterius ex consentientibus, 1245